

## LIBER

Claruit sub Frederico imperatore tertio: & Sixto papa quarto: Anno domini Mill. CCCC. LXXX. Et sub Innocentio papa octauo: ante hoc trienniū morit̃.

**N**icolaus de Cruczenach: natione teutonice: ex diocesi Moguntina: & comitatu Spanhemensi: uir in diuinis scripturis eruditissimus: & secularis philosophia non ignarus: ingenio subtilis: uita preclarus: disputator acutus: & declamator sermonum egregius: qui in gymnasio wienensi theologiam multis annis publice docuit: & tam apud scholasticos ibidem quam imperatorem Fredericum tertium magna eruditionis sue & laudem & mercedem obtinuit. Scripsit quedam preclara opuscula: quibus nomen suum posteris notificauit: E quibus ista ferunt:

Quaestiones sententiarum: li. iiii

Sermones uarij: li. ij

Collationes & orationes multae: li. j

De conceptione sanctae Mariae: li. j

Et alia complura: quae cum usque ad mortem celauerit: ad noticiam nostrae lectionis necdum uenire potuerunt: quae tamen in dies uetura sunt. Moritur wienae in Austria sub Frederico imperatore tertio: & Innocentio papa octauo: Anno domini Mill. CCCC. XCI. Indictione nona.

**P**etrus scoticus: natione teutonice: patria Argentinensis: canonicus sancti Petri ibidem: uir in diuinis scripturis exercitatus: & in utroque iure doctissimus: atque in ceteris humanitatis artibus ualde eruditus: philosophus: rector & poeta celeberrimus: ingenio excellens: uita & conuersatione preclarus. Scripsit tam metro quam prosa quedam pudica elegantissimaque opuscula: quibus se posteris commendauit. De sanctis Iohanne baptista: euangelista: & chryostomo scripsit pulchrum & delectabile opus:

Carmine elegiaco: li. j

Laudes Iohannis Gerson: li. j

Epistolas elegantissimas: li. j

Iohannes Gerson parit̃

Carmina insuper & diuersa & compunctioni legentis non contraria: sed pro bene apta & congrua: uario metrorum genere composuit. Moritur Argentinae in ecclesia sancti Petri sepultus: sub Frederico imperatore tertio: & Innocentio papa octauo. Anno domini Mill. CCCC. XCI. Indictione nona. Aetatis uero suae tricesimo primo. Consummatus in breui impleuit tempora multa: & sublatus est: ne malitia mutaret intellectum eius. *Celibatū usque ad uitam suam alibi in quibusdam uicibus in hunc uisum egrediendo sic missi*

**N**icolaus de Voerda machiliniensis: natione teutonice: patria brabatinus: *ordis Augustinus* captus a tertio aetatis suae anno oculis: & ob id elementorum quoque omnium naturaliter penitus ignarus: uelut grande miraculum secundum nostra tempestate Didymum Alexandrinum exhibuit: dum in omni doctrina & scientia tam diuina quam humana eruditissimus: euasit. Nam in gymnasio Colonienensi (ubi & mortuus est) iura publice docuit: libros utriusque iuris quos nunquam uidit: auditu didicit: tenuit mente: aperte recitauit. In uniuersitate Louaniensi gradum magistratus in artibus primo suscepit: scholas postea aliquanto tempore in Mechilinia rexit: deinde ad Louaniam reuersus: in sacra theologia licentiatus constituit: & singulari dispensatione apostolica sacerdos ordinatur: praedicat publice: audit confessiones: ad altare ministrat: euangelium caecus coram omnibus (mente utens pro libro) recitat: tantum ad altare diuina per se non celebrat. Postremo in Colonienensi academia omnium doctorum consensu doctor canonici iuris factus est: & legum quoque imperialium cautus interpret. Edidit celeberrimum opus quod in eadem uniuersitate Colonienensi multis excipientibus extraordinarie legit:

Super Institututis: li. iiii

Super sententias: li. iiii

Sermones uarios: li. j

Quaestiones diuersas.

Quia ea quae bene incho.